

~~P.4~~
~~LUB~~

04

C-160
14 (A-2)

Compostellana Resignationis.

IN proposita facti serie deducitur, quod in Civitate Compostellana adest Beneficium Curatum S. Simonis de Ons, juris patronatus Ecclesiastici RR. Capituli Cathedralis Compostellanæ, annexum Jurisdictioni loci de Cobas.

Et alterum Beneficium pariter Curatum S. Joannis de Resecende juris patronatus Laicalis, nobilis familiæ de Cisneros ex dotatione, & fundatione in quo habet etiam RR. Capitulum ius præsentandi pro sexta parte, nescitur, an ex dispositione fundationis, vel alio iure, remanentibus alijs quinque partibus, ad liberam præsentationem Patroni Laici.

Deducitur etiam, quod de anno 1576. deventum fuit ad concordiam inter RR. Capitulum, & Patronum Laicum, qua mediante, eadem Beneficia fuerunt æque principaliter, & æqualiter vnita, ad effectum, vt deservirentur per vnicum Curatum, præsentandum forsitan, vel ad evitandas controversias in iure præsentandi, vel obtenuitatem reddituum Beneficiorum, vel ex alia causa, cuius non datur notitia, firmo remanente vnicuique ex Patronis, jure patronatus sibi competente, nepe RR. Capitulo, in totum, quoad Beneficium S. Simonis, & Patronis Laicis quoad illud S. Joannis de Resecende, cum iure RR. Capituli percipiendi salnam vnam quotannis frumenti, loco sextæ partis præsentationis, & stabilito turno in iure præsentandi inter RR. Capitulum, Patronum Ecclesiasticum, & familiam de Cisneros Patronum Laicum, ita vt in vacationibus superveniendis, vna vice RR. Capitulum, per se ipsum, altera vice familia de Cisneros pariter per se ipsam, solum ad vtrumque Beneficium præsentarent.

Itemque, deducitur, quod ex inde, vsque in præsens, vnusquisque præsentavit alternatim in turno sibi obtingente, in quocumque mense vacationis Beneficiorum, quamvis reservato Sedi Apostolicæ, ex *Regula 8. bodiè 9. Cancellaria*, prout in Patronatu Laico, etiam in turno RR. Capituli, licet Ecclesiastici, sine vlla differentia.

Et demum deducitur, quod vltima præsentatio fuit facta per familiam de Cisneros, existente in turno de persona D. Josephi Sarmiento, qui vltimo loco Beneficia resignavit favore, D. Cosimi Vasquez, sub certa annua pensione, cum declaratione, quod subsequens turnus specta-

spectaret RR. Capitulo, seu suo locum tenenti jurisdictionis de Cobas, expeditis desuper litteris Apostolicis, cum consensu Patroni Laici, familiae de Cisneros.

Quibus praesuppositis circumstantijs, ortum habuit in partibus dubium, & hodie quaeritur. *An resignatio fuerit valida, non petito consensu à RR. Capitulo, seu eius locum tenente de Cobas, & iste possit se opponere ad adimplendam executionem litterarum Apostolicarum?*

Pro opportuna & solida resolutione huiusmodi dubij, nec non super qualitate, ac facultate iuris praesentandi, ita ut stante turno, ut supra stabilito, & specie mixturae Laici, cum Ecclesiastico, procedendum sit cum privilegio juris patronatus Laicalis, non cadentis sub reservationibus Apostolicis, & cuius consensus expressus requiritur in resignationibus, vel juris patronatus Ecclesiastici ipsdem subiecti, cuius consensus in reservationibus non requiritur, ac derogatur per Papam, etiam tacite, opus fuisset habere sub oculis instrumentum concordiae, nec non litteras Apostolicas sequutae resignationis, ut eorum tenore, & substantia perspectis, firmum desuper iudicium dari posset.

Nihilominus adhuc solum modo attentis praedictis facti circumstantijs, praescindendo à qualitate, & facultate iuris praesentandi, facilis est resolutio dubij praedicti: *An resignatio fuerit valida sine consensu locum tenentis RR. Capituli, & iste possit impedire executionem litterarum Apostolicarum?*

Et crederem resignationem fuisse validam, nec posse per RR. Capitulum, eiusque locum tenentem, impediri executionem litterarum Apostolicarum eiusdem, ex eo quia non intervenerit illius consensus, sive enim praedicta Beneficia, stante praenarrata concordia, considerentur, & regulanda veniant, iuxta naturam juris patronatus Laicalis, sive iuris patronatus Ecclesiastici, semper resignatio erit valida, nec impediri poterit executio litterarum Apostolicarum.

Si enim considerentur juris patronatus Laicalis, in quo requiritur consensus Patroni Laici, utpotè non cadentis sub reservationibus Apostolicis, & cui non derogatur per Papam, ex deductis per Uivian. de iure patronat. lib. 14. cap. 1. n. 100. Card. de Luc. de iure patronat. disc. 65. num. 24. cum vulgatis, cum in praesenti, super resignatione de qua agitur, intervenerit consensus Patroni Laici, cessat in hac parte omnis exceptio, nec potest dubitari de validitate resignationis.

es equibora la
apliada 2 plus u
fando el Cavildo
en herra, si fue
se lego, no havia
cuerpo venido selon

sentimiento, y no bastaria el de Cisneros, y asi debia volverse la qualidad de presentan
primero

Si verò considerentur iurispatronatus Ecclesiastici, & cum illud cadat sub reservationibus, tam generalibus, quam specialibus, eique Papa derogare soleat, immò censeatur derogatū per collationem à Papa factam, cum mentione iuris patronatus, nedum per expressam derogationem, sed tacitam, per clausulas generales. *Etiam si ad alicuius presentationem, &c. cum similibus. Paris. de resig. lib. 2. q. 4. num. 31. & sequent. & num. 27. cum sequentib. Uivian. de iure patron. lib. 14. cap. 1. num. 103. Card. de Luca de iure pat. disc. 66. n. 1.* Indèque cessat etiam exceptio super validitate resignationis, nec potest impediri executio litterarum Apostolicarum ex parte RR. Capituli, sivè eius locum tenentis, cum in actu resignationis, de iure patronatus mentio facta fuerit.

Fortius, & clarius, dum in simul fuit declaratum, quod subsequens turnus spectaret RR. Capitulo seu eius locum tenenti, ex quo non solum sequitur, quod Papæ fuit narratum ius patronatus, & præsentandi RR. Capituli, eiusque locum tenentis, & quod Papa benè intellexit ius illi competens, idque tanquam Patroni Ecclesiastici, censeretur derogatum, ut suprà, sed quod stante declaratione subsequentem turnum illi spectare debere, suum ius præsentandi præservatum remansit, absque eo quod remanserit consumptus illius turnus per collationem Papæ, prout aliàs consumptus prætendi potuisset, iuxtà vnâ opinionem relatam à Uiviano de iure pat. p. 2. lib. 4. cap. 1. sub num. 113. Vers. *Vndè si in turno, &c.* Ideoque non est de quo conqueri possit RR. Capitulum, vel aliqua iusta ratione impugnare resignationem, & executionem litterarum Apostolicarum, cum illi nullum sequatur præiudicium per resignationem, dum per eandem suus turnus remanet præservatus. Nèc consideratur præiudicium, quod possit resultare ex dilatione vacationis ex persona Resignatarij, potius, quam Resignantis, quoniam propter incertitudinem prioris obitus Resignantis, vel Resignatarij, præiudicium huiusmodi non attenditur. *Card. de Luca de iure patronat. disc. 65. num. 38.*


Hinc superfluum est assumere inspectionem, àn attenda prænarata concordia, & vnione Beneficiorū, æque principalitèr, & æqualitèr, ius patronatus remanserit mixtum? vel retineat suam naturam vniuscuiusque Beneficij, ità vt in turno Patroni Ecclesiastici, reputandum sit Ecclesiasticum, in turno Patroni Laici, laicale? vel potius semper Laicale? vt potè extra quæstionem casus præsentis, iuxtà superius firmata.

Si talis inspectio assumenda foret, probabilius videtur, quod reputari, & regulari deberet, quoad exclusionem reservationū, tempus præsentandi, aliaque favorabilia, tanquam laicale. Nam quid quid sit, an per talem unionem æquè principalem ad alios effectus, vnumquodque Beneficium retineat propriam naturam, respectu dominij, & proprietatis, & an turnus stabilitus dividat possessionem, vel ius? non videtur dubitandum, quod ius præsentandi non fuerit plenariè unitum, & insolidum transfussum in Patronum Ecclesiasticum, & respectivè in Patronum Laicum, ità vt quilibet Turnarius in suo turno, nomine omnium, actum expleat, & præsentare dicatur. Indeque ratione mixturæ iuris præsentandi Patroni Laici, quam sufficit concurrere in minori, & etiam minima parte. Card. de Luca *de iure patr. disc. 59. n. 20. & sequent. & disc. 65. n. 32. §. & consequentèr.* Piton. *discept. Ecclesiast. discept. 3. nam. 6.* Rota *desc. 250. num. 13. & sequent. p. 12. recent.* Et ne alias præiudicium resultet Patrono Laico, reputandum, & regulandum venit tanquam laicale. Ex firmatis per Loter. *de re benef. lib. 2. q. 10. n. 97. & sequent.* Vivian. *de iure patr. lib. 14. cap. 1. sub num. 113. §. Attamen existimarem, &c. cum sequent.* Card. de Luca *de iure patr. disc. 65. n. 34.* Piton. *discept. Ecclesiast. discept. 25. n. 21.* Ubi, quod stare potest, ius patronatus retinere naturam laicalem circa exercitium, & esse Ecclesiasticum circa dominium, & proprietatem.

Cessatque difficultas, dum in terminis casus nostri, quod spectante iure præsentandi ad Patronum Clericum, & Laicum, substineatur, & sit valida collatio Papæ, cum consensu solius Laici iuxta doctrinam Panormit. *in cap. finali num. 9. de iure patr. quam sequitur Federic. de sentent. consult. 65.* Felin. *in tract. quando litteræ Apostolicæ non eant Patronis num. 6. cum alijs adductis per Piton. discept. Ecclesiast. 3. num. 7. & seqq.* qui in casu simili præsentanti consuluit, & obtinuit à Dataria Apostolica. Et ita, &c. Salvo, &c. Hac die 19. Decembris 1722. ROMÆ.

Joseph de Cappuccinis. J. V. D. è Collegio Patronorum
Causarum Sac. Palatij Apostolica.

Quando esto asi
Como el turno
ere del Capit
de, y este no con
vinho, debia ser
nula o veni
ble loc venun
lice y graua



1
con
er
de
ur
bl
a

